



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Fasti Mariani**

**Brunner, Andreas  
Pfeffer, Wilhelm**

**Antverpiæ, 1663**

S. Audomarus Ep. 9. Septembris.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-41940**

564 VITÆ SANCTORUM. 9. Sept.  
*via Christum, cum teneris labris lac exprimeret uberum, reficimus & nos variis bonorum deliciis operum. S. Pet. Dam. ferm. 2. de Nativ. B. V.*

S. AUDOMARUS EP.

9. Septembris.

Cœpit AUDOMARUS tunc vivere, cum desit mater; quando nimirum à morte hujus cum patre mori mundo inter Ascetas ocepit. Jucundum credo videre cælo erat, patrem unà & filium in eâdem virtutis scholâ discere, miraculo eò majori, quod ad hanc filius patrem duxerat. Quid jam mirum, si mira alia quàm plurima patravit AUDOMARUS, si radiare è ligno crucem, si exsurgere è lectulis ægros, è vinculis captivos jussit? Nos duo tantum scribemus, quorum pueri unum, alterum bis pueri senes legant. Episcopus jam Morinensis adolescenti interdixerat, ne cymbâ in aquis luderet. Risit ille, & lusit. Sed inobsequentem venti fluctusque in altum, inde è Galliâ in Saxoniam usque ejecerunt, & ut contra immorigerum conjurasse cum aquis terram agnosceret, latrones in littore venientem præstolabantur. Quid ageret sine velis, sine remis puer nauta? Nempe remi preces, vela divi apud Deum AUDOMARI merita fuerunt. His ille in patrium portum inVectus,  
nav-

10. Sept. VITÆ SANCTORUM. 565  
naulum Navarcho suo obsequium delinc  
perfolvit. Hic cum amissos senio oculos  
ad D. Vedasti tumultum recepisset, mox  
facti pœnitens cum non videret, an ex  
re animi esset videre, precatus est *Deum*,  
iterum eriperet, si noceret, lumen, Eri-  
puit, & in cælum abituro duces Angelos  
misit. Ibi ille cæcus nunc *Deum* videt.  
*Ex Suario.*

*Inducte, quæso, veste innocentia, ornæ  
te quasi veste polymita varietate virtu-  
tum, & qui te fidei annulo subarrhavit,  
in te odorare latetur aromata agratiarum.*  
S. Bern. de char. cap. 31.

S. SALVIUS EPISC.

10. Septembris.

**M**erito hodie plaudimus SALVIO,  
qui belle omnes personas egit in eâ-  
dem vitæ fabulâ, Iudex, Monachus,  
Abbas, Episcopus. Et ne eventus sive  
Comicos, sive Tragicos desideres, bis  
vividus, bis mortuus. Unicam scenam  
specta. Concluserat, cum Abbatem exu-  
isset, angustâ cellâ sese. Sed natus cælo  
animus libertatem morte quasivit repe-  
ritque. Jam extulerant mortuum, jam  
tumulo inferebant, cum è ferâ capulo  
se tollens simul vivere iterum, simul vitæ  
illacrymari cœpit. Heu! heu! ubi? ho-  
minum & Cælitum fidem ubi sum? imo  
heu! ubi fui? unde, ah! excidi? felix mors,

Nn 3

quæ